



**CENTRE FOR RESEARCH COLLECTIONS
EDINBURGH UNIVERSITY LIBRARY
GEORGE SQUARE
EDINBURGH
EH8 9LJ**

TEL: +44 (0)131 650 8379

FAX: +44 (0)131 650 2922

BOOK-SCANNED 2007

SHELF MARK: E*.21.43
TITLE: Dissertatio Philosophica Inauguralis de fundamentis et obligatione legis naturae
AUTHOR: Blair, Hugh

N.B. Scanned as single pages.
Blank pages have been omitted.
Original pages are creased, some text is illegible.
THIS IS THE BEST COPY AVAILABLE.

The University of Edinburgh Library




This PDF is supplied under a Creative Commons CCBY License:
you may share and adapt for any purpose as long as attribution is given to the University of Edinburgh. Further information is available at <http://creativecommons.org/licenses/by/4.0/>

Please address all enquiries to Centre for Research Collections.

The Library wishes to be informed of work based on this Pdf copy, and would welcome a copy of any publication that makes use of it.

The University of Edinburgh is a charitable body, registered in Scotland, with registration number SC005336

EDINBURGH
& LONDON



~~6 Bc #7/15~~

6 # 21 / 43

LANE
NOT TO BE
BORROWED

253 BLAIR, HUGH. *Dissertatio Philosophica inauguralis, de Funda-
mentis et Obligatione Legis Naturae.* Edinburgh, R. Fleming,
1739. 4to. E.U.L.

Dr. Blair's thesis for the degree of Master of Arts at Edin-
burgh University; very few copies were printed and it is
consequently of exceptional rarity.

C Be 7/5 A. v. s.

Dissertatio Philosophica

INAUGURALIS,

Ex Libris
De Fundamentis & Obligatione

LEGIS NATURÆ:

QUAM,

Bibliothecæ FAVENTE NUMINE, *Edinensis*
Ut in Artibus Liberalibus & Disciplinis Philosophicis
MAGISTER Rite Renunciatur,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI WISHART, S. T. D.

Academiae EDINBURGENÆ Praefecti:

NEC NON

Amplissimi Senatus Academici, & *Nobilissima* Facul-
tatis Artium, *Decreto,*


Eruditorum Examini, in Auditorio Publico


Academiae, ad 23. diem Februarii, horâ 10. Antemeridianâ, Subjiciet

HUGO BLAIR, A. & R.

EDINBURGI:

In Ædibus R. FLAMINII, M. DCC. XXXIX.





VIRO ILLUSTRISSIMO,

D. ROBERTO DUNDAS,
De ARNISTON;

Supremæ in Civilibus Curia apud SCOTOS
Senatori;

*Tam Consilio & Doctrina, quam Eloquentia claro: Pa-
triam, olim incorruptissima pietate propugnanti, nunc
summa judiciorum equitate tuenti, semper honestanti:
Bonis omnibus Amori;*

Dissertationem hanc Philosophicam,

Quaecunque observantia sua

Monumentum,

D. D. C. Q.

HUGO BLAIR.

Differtatio Philosophica
 INAUGURALIS,
De Fundamentis & Obligatione
 LEGIS NATURÆ.

CAPUT I.



INTER tot, tamque varia, quibus Natura undique referta est, opera, nullum videmus temerè vagari, sed omnia, sub ratis legibus comprehensa, & ad certos fines ordinata, munus suum ritè exsequi. Quod quum ita sit, verisimile minimè videtur hominem solum omnis legis & destinationis expertem ævum agere. Incongruum quippe prorsus, & a natura maxime alienum esset, hominem, qui tantò aliis omnibus præstet, quasi spretum quiddam a natura, & temerè in vitam protrusum, cæco solum & temerario impetu deferri. Cumque item omne Animalium genus certissimo ad naturæ suæ fines assequendos duce, instinctu, utatur, non exiguam veri speciem præ se fert, Naturam nobis etiam quædam indicia dedisse, quibus quæ sit naturæ nostræ Lex, cujusque muneris colendi efficiendique causa nati, & in lucem editi sumus, colligere sit. Ad hæc porro indicia investiganda sequens nostra instituitur disquisitio: Ut inveniatur demum regula, vel mensura certa, profecta ab ipsa Natura, cujus ope actionibus nostris & affectibus certum statuamus modum; extremum illud & ultimum quo sint omnia bene vivendi, rectèque faciendi, consilia referenda. Quo semel explorato, inventa erit vitæ via, omniumque officiorum conformatio.

II. Si igitur fuerit in sequentibus demonstratum, esse quandam vitæ degendæ rationem, quam Mens nostra & Ratio *necessario approbant*, dicti-

tantque esse colendam: hanc etiam vitam *maximam*, quæ humana conditio fert, *felicitem* semper comitari: denique *Deum* ipsum, supremum omnium Dominum, *velle*, voluntatemque suam manifestis factis signis declarare, ut hanc vivendi rationem omnes sequantur: his, inquam, firmatis, evidentissimè patebit, exlex minime Genus humanum relinqui; verum unam esse hominum inter ipsos vivendi communem legem, & omnes inter se naturali societate juris contineri. A NATURA enim est ortum hoc jus, & ab ea in omnium animis impressum, quin & a summo naturæ Moderatore ritè descriptum; ita, ut merito LEX NATURÆ appellari queat. De cujus *Promulgatione, Sanctionibus & Obligatione* (ut in omnibus propriam vim Legis consequatur) postea dicemus.

C A P. II.

CUILIBET naturam humanam vel leviter inspicienti, statim patebit, omnes homines ad naturalem comprobationem Honestatis & Benevolentiae ferri, & necessaria Turpitudinis offensione moveri. Sit igitur hoc primum fundamentum Legis Naturæ, *in omnium animis morum regulam esse insculptam, quæ derelicta, vel nobismet ipsis iudicibus, condemnatur*. Honesti enim ac Turpis, à Natura est nobis perceptio insita: discrimen horum non longæ ratiocinationis ambagibus eget; sed per se patet, ferme ad modum eorum quæ sensibus externis percipimus. Sicut enim in corporibus est apta quædam membrorum compositio, & partium convenientia, quæ mentem & oculos pulchritudinis sensu statim ferit, ita DECORUM illud & HONESTUM quod elucet in vita, proprio innotescens splendore, in amorem & approbationem rapit mortalium animos: nec omnino *potest* quis Benevolentiam, semel cognitam, *non diligere*, sicut Veritati demonstratæ assensum *non potest denegare*. Oportet ut fallà offuscentur specie, si huic quis non credat, vel illam non amet. Quin, neque dubiè aut parum lucet Virtutis splendor. In omni enim alio dissonum & pugnant, in huius unius amore & laude, totum, quicquid ubique est, Gentis humanæ uno ore atque animo consentit. Quæ unquam Natio non comitatem, non benignitatem, non gratum animum & beneficii memorem dilexit, diligitve? Quæ maleficos, quæ crudeles, quæ ingratos non aspernatur, non odit? Sit licet scelus interdum gratum, odiosi sunt semper scelesti; proditio potest esse fructuosa, sed proditorum ab omnibus, in omne ævum, detestatur memoria. Quanto verò omnes afficimur gaudio in Historiis perlegendis, vel in Tragediis audiendis, cum piè, cum amicè, cum generoso animo, illustre quiddam facinus auctos aliquos vidimus? Quam amicè
&

& benevolè statim erga eos affecti sumus, etiamsi in seculo vel regione longissimè uspiam a nobis distat vixerunt? ut pro partibus eorum quisque stat? ut fausta omnia illis ex animo precatur, & infelici eorum successu, mœrore minimè ficto, dolet? Quæ animi affectio cum in pueris etiam vel maximè cernatur, incorruptè magis adhuc & integrè exferente vim suam Naturâ, maximo est argumento, hunc Honesti amorem altè in principiis humanæ naturæ defixum esse.

II. Quid, quod in iis quos pravæ consuetudinis corruptela transversos egit, facile perspicitur Honestorum & Turpium sensus: cum quod ipsi facere non possunt, id recte fieri in altero judicant. Omnes enim qui honestatem, falsâ voluptatis opinione seducti, deseruere, in aliis eam suspiciunt, & secreto voto similes se iis fuisse sæpe exoptant: Virtutem videntes intabescunt relictâ. Quis est, aut quis unquam fuit tam perditè nefarius, qui eandem illam rem, quam adipisci scelere quovis parat, non multo magis malit, jure, quam injuria obtinere, etiamsi certissima injuriæ sit proposita impunitas? fructus tantummodo nequitiae concupiscitur: verum ipsa semper, ipsis pravis, odio pudorque est.

III. Ex quibus intelligitur naturalem esse in omnibus approbationem honestatis, & averfationem inhonesti. Verum nec intra solam vitii averfationem sistit facultas hæc honesti Commendatrix, morumque Rectrix, *Conscientia*. Sed & a vitio inhibet & coerct; perpetuo conatu regimen actionum cupiditatumque affectat: ubique & in omni negotio se ingerit; nec unquam quiescere eos patitur qui imperio ejus inobedientes sunt. Vix, ac ne quidem vix, perditissimus mortalium ad vocem ejus penitus obsurdicit, aut contra censuram ejus induruit: nec potest hoc cuiquam contingere, sine magna mercede immanitatis & stuporis in animo. Natura ergo nostra in Legem sufficere nobis potest, quippe quæ omni fungatur Legis officio; facienda moneat, ad recta instruat, & a pravis dehortetur; honesta facientes, non solum absolvat, sed gratissimâ approbatione cohonestet; turpitudinisque reos, gravissimâ inflicta pœnâ, ut nobismet ipsis displiceamus & odiosi simus, clarâ voce damnet.

IV. Porro, non solum animos nostros æqui rectique sensu imbuit natura, sed, in auxilium conscientiae, ingenuit nobis *Affectus* quosdam *benevolos*, qui hominem homini conciliant, & ad beneficentiam & virtutem directe propellunt. Ex quibus facile perspicitur, nos non ad privatas solum utilitates natos esse, sed ad mutuam etiam beneficiorum commercium, & ad conjunctionem quandam hominum & caritatem. Indicat hoc alienis malis ingemiscens misericordia: indicat affectus ille, quo prosperâ aliorum fortunâ lætamur, quo, vel ignotis laborantibus succurrimus, & egentibus beneficia, nulla unquam ab iis recepturi, conferimus. Indicat

dicat naturalis Amor, qui, profectus a caritate liberorum & parentum, serpit sensim foras cognationibus primum, tum affinitatibus, dein amicitias, post civibus, donec tandem in totius amplexum generis humani diffundatur & patefcat. Infitum itaque est in natura hominum sociale quiddam & benevolum (*τὸ κοινωτικόν* illud, Græcis philosophis tantoperè celebratum) quod ad societatem, cœtum, congregationemque hominum naturaliter nos fert; & benè illis cùm optare, tùm facere, maximè impellit.

—mutuus ut nos

*Affectus petere auxilium & præstare juberet,
 Dispersos trahere in populum; migrare vetusto
 De nemore, & proavis habitatas linqere Silvas;
 Communi dare signa tuba, defendier eisdem
 Turribus, atque una portarum clave teneri.*

C A P. III.

CUM perfectum jam fit & conclusum, in ipsis naturæ humanæ principiis *Honesti & Turpis* discrimen esse fundatum, ad secundum veniamus *Fundamentum Legis Naturæ, eandem, scilicet, vitam viam*, ad quam, magistrâ ac duce Naturâ, omnes ferimur, *BENEVOLENTIAM* erga homines quam latissimè diffusam, & adversus Deum *PIETATEM, maximam uniuscujusque efficere felicitatem*. Hoc vero primum perspicitur ex eo, quod, cum ad vitam beatam efficiendam, nihil plus afferat momenti, quam hominum inter se societas conjunctioque, hæc, nisi officia permutando, communesque utilitates in medium afferendo devinciatur, nulla esse potest. Ut quisquis innumera humanæ consociationis commoda reputare velit, facile intelligat, maximè ad vitæ felicitatem valere, ut societatem beneficiis tueatur. Quo enim alio tuti sumus, quam eo, quod mutuis juvamus officiis? Hoc uno, ad cunctos usus instructior vita est, contra subitas incursiones munitior, omnibusque illis, quæ vitam faciunt vitalem, artibus & adjumentis excultior. Si autem sic erimus affecti, ut propter suum quisque emolumentum violet alterum, communemque ad se rapiat utilitatem, distrahi necesse est & dirumpi omnis humani convictus suavitatem. Quisquis vero bono publico studet, propriæ proculdubio consulit utilitati, quod ea in communi, ut pars ejus, continetur. Sicut enim omnia membra inter se consentiunt, quia totum corpus servari singulorum interest, ita, omnium mentibus infixum debet esse & comprehensum, eandem esse utilitatem

utilitatem uniuscujusque & universorum : Nec perniciosior pestis vitam hominum invasit, quam illorum sententiâ, quæ hæc, naturâ cohærentia, perversâ opinione distrahit.

II. Ratum itaque sit, nullam esse aliam certiore viam, quæ quemlibet ad suam ducat utilitatem, quam quæ omnes ducit ad communem. Quid enim ? Egetne dubitationis, an omnibus hominibus benevolis potius quam infensis uti velimus ? Cum benefacta Bonorum non eos tantum quibus profuerint, sibi concilient, sed Universos ; nec eorum solum, quos Pravi alicujus injuria læserit, inimicus idcirco in eum sit animus, sed & Omnium : nam ex factis erga alios, ad similia sibi met ipsis speranda, aut metuenda, omnes homines, certissimis usi indiciis, ratiocinantur. Cum igitur nemo in suam sibi sufficiat felicitatem, sed aliorum multorum operâ indigeat & concursu, ut ævum beatè transigat ; Benevolentia proprium est & Virtutis, animos eorum conciliare, & ad usus suos adjungere. Si quis autem nihil alieni curans, intra privatas se utilitates involvat, habebitne ille in suam felicitatem conspirantes aut homines, a quorum se communione abscedit, aut Deum, cujus cœlesti descriptioni repugnat ? Qui verò, propriam felicitatem, publicam promovendo, exquirat, non suis solum, sed conjunctis omnium viribus, ad felicitatem suam nititur ; quippe, qui in eundem finem, cum universâ hominum consociatione, consentit & conspirat. Ex quibus efficitur, necessariam prorsus ad privatam cujusvis felicitatem, esse *Benevolentiam*.

III. Quod & certissimâ etiam experientiâ comprobatur. Nihil est enim quod plus ad vitam beatam valet, quam benigni & sociales Affectus, qui nos ad aliorum bonum promovendum ducunt. Alunt semper aliquid vi suâ atque naturâ, quod tranquillet animos : quin etiam cum successu destituuntur, jucunditate attamen magis purâ, animos perfundunt, quam quæ ex privatis & contractioribus oblectamentis unquam profluit. Quantum lætitiâ, ex alienæ felicitatis sensu percipit animus benevolus ? Quæ etiam lætitiâ, suavissimâ illâ approbatione Mentis sibi consciæ Recti, augeatur insuper & exultat. Majore persæpè fruitur gaudio, qui beneficium dat, quam is, in quem confertur, ex hoc beneficio percipere potuisset, si id casu illi contigisset : Ex mutuis enim amicitia officii, & reciproci animi benevoli gratique motibus, suavissima & maximè sincera humanæ sortis, exoritur voluptas ; quam sentit, quisquis probo est & generoso animo, verbis tamen eam non facile exprimere potest. Angustis certè coarctatur finibus, quod circa nostra tantummodo commoda esse potest, Gaudium ; in lætiores multò se explicabit campum, si aliorum omnium felicitas nobis cordi sit : quippe, hoc ad illud, eandem habebit proportionem, quam habet immensa totius hãmami generis beatitudo, ad curtam illam fictæ
B felicitatis

felicitatis suppellectilem, quam uni homini, eique invido & malevolo, fortunæ bona possunt suppeditare. Caritate igitur & benevolentia ex animis sublata, ferè omnis erit e vita sublata jucunditas. Quibus extinctis, in earum locum subibunt odium & livor, & alieni cupiditas, impotentium denique affectuum ingens turba: qui in mente inclusi, inter se discordant, animosque vel ægritudine affligunt, vel metu debilitant, vel appetitione nimia inflammant: turbidi animorum concitatusque motus, averfi a ratione, & inimicissimi menti vitæque tranquillæ! Bonorum verò animos, placidissima semper affectuum omnium harmonia lenit & demulcet; tum exhilarat perpetuò jucunda benè actæ vitæ recordatiò, & spes non dubia futuri boni. Ex quo efficitur, ut omnes vitæ suavitates, vegetiore multò sensu, quàm ii, quorum mens turbulenta semper est & concitata, Boni percipiant.

IV. Quæ porro Cupiditates a natura proficiunt, facile explentur, sine ulla injuria: ea verò, quæ præter naturam, dulcia sibi mortales, vanissimâ conspiratione, confingunt, adeò nihil ad felicitatem faciunt, ut plurimum officiant, vel eò quod, quibus semel infederint, ne veris ac genuinis oblectamentis usquam vacet locus, totum prorsus animum falsâ voluptatis opinione præoccupant: Plusque ex ipsâ semper injuria molestiæ exoritur, quam ex his rebus jucunditatis, quæ injuriâ parantur. Quæ enim tanta ex improbis factis, ad minuendas vitæ molestias, accessio fieri potest, quanta ad augendas, cum conscientia factorum, cum pœnâ legum, odioque civium? Sit enim nonnullos sententiam judicis effugere,

Hos tu

Evasisse putes, quos diri conscia facti

Mens habet attonitos, & fundo verberare cædit,

Occultum quatiente animo tortore flagellum?

Scelesto cuique in conscientia sceleris supplicii fatis est; continua illos sollicitudo urget ac verberat; trepidant perpetuò, & tantum metuunt quantum nocent. Dat pœnas quisquis exspectat: Quisquis autem meruit, exspectat. Jucundè igitur, nisi honestè, non vivitur. Virtute solum præceptrice est, quâ, hoc quod datum est ævi, tranquillè queat placidèque perducere; quâ, nec nobis graves, nec aliis supervacui, vitam sine fastidio transigere, & mortem sine terrore exspectare, liceat.

CAP. IV.

MUNITA jam ad ea quæ sequuntur viâ, reliquum est, ut ostendamus DEUM ipsum VELLE, ut *Virtus, seu Benevolentia, sit omnium actionum humanarum regula, seu, Deum esse legis naturalis latorem.* Quamquam enim, ex supra dictis, satis appareat discrimen Turpis & Honesti, non in opinionum vanitate esse situm, sed ad Naturam ipsam referendum; cum sit recta ratio, profecta a rerum natura, quæ omnes ad rectè faciendum impellit; & a delicto avocet: tamen ut Honestum illud, propriam vim LEGIS consequatur, necesse est, ut a justissimo Gentis humanæ Domino & Moderatore ritè sit in vitæ normam scita & sancita; utpote sine quo, LEX intelligi omninò non queat.

II. Deum porro hanc condidisse Legem, ut Virtutem omnes colerent, ex jam demonstratis facilè consequitur. Ac primum perspicitur ex eo, quod omnium animis *necessarium* indiderit honestatis amorem, & in moderamen actionum *Conscientiam* ingenuerit. Facultatem hanc, ad nullum finem a Deo fuisse destinatam, judicare non possumus; nec ad ullum alium, nisi ut actiones regat, eam conducere omninò posse. *Reëtrix* quippè naturâ est; & nisi *regat*, extinguitur: undè apud Græcos τὴ ἡγεμονικὴ nomen sortita est. Ac sicuti Gubernaculum in nave omninò non esset, nisi ad navem regendam ab ejus Architecto destinaretur, quippe quod nulli alii usui interserviat; ita, ex eo quod summus naturæ humanæ Fabricator, mentibus omnium præposuerit facultatem quandam, vi suâ atque naturâ affectuum moderatricem, turpia omnia & facinorosa, necessariâ offensione, averfantem, recta vero & honesta amplectentem, perspicuè cernitur, ejus esse voluntatem, ut hujus facultatis moderationi simus subiecti, turpia aversemur & honesta amplectamur; mandataque ejus, officio suo ritè fungentis, pro jussis ipsius Numinis habenda esse.

III. Clarius adhuc patebit, Deum voluisse Benevolentiam erga omnes, vel Virtutem, esse Legem, quâ omne genus humanum contineretur; si reputemus, ità esse ab ipso comparatum constitutumque, ut omnes homines felicitatem necessariò appetent. Cum hoc in dubium revocari nequeat, non minus certum est, eum instituisse naturalem nexum inter virtutem & vitam beatam; ità ut unicuique, propriæ felicitati rectè consulenti, Virtus necessariò sit colenda. Qui igitur est auctor & nostræ naturæ, quâ felicitatem necessariò appetimus, & naturæ rerum, quâ felicitas necessariò e virtute oritur, Idem est censendus auctor hujus legis, ut Virtutem, felicitatis ergo, colamus. Hoc ipsâ luce clarius est, nec amplioris illustrationis eget.

IV. Multa

IV. Multa etiam alia indicia afferri possunt divinæ designationis, ut homines, quantum in ipsis esset; publico studerent bono, præsertim ex naturæ humanæ structurâ desumpta. Etenim elucescit hoc, non solum ex ipsis Affectibus benevolis, de quibus supra diximus, sed etiam, ex *rationibus*, quæ inter affectus hos servantur. Omnes enim hi Affectus proportionem, quæ manifestissimè ad commune bonum spectat, inter se ordinati sunt: ut scilicet, quo *arctior* nobis *necessitudo* cum aliquo intercedat, quo *conjunctior* quis sit, eoque *magis in nobis situm est* utilitatem ejus promovere, eò amicrore in eum simus affectu. Secundum hanc proportionem, naturalis amor erga parentes & liberos amorem in quemvis alium superat; propinqui cariores sunt quam alieni; cives, quam extranei, & ita deinceps. Quæ *Affectuum ratio* satis indicat, naturæ nostræ structuram, non minus ad communes utilitates, quam privatas promovendas, a summo Numine institutam fuisse; adeo ut quicumque nihil ultra privatas utilitates curat, facile intelligat divinæ se adversari Designationi & Legi. Et de hoc quidem dubitare nemo potest, qui Divinam Naturam unquam animo perceperit. Cum enim Deus perfectissimâ sit naturæ bonitate præditus, fieri nequit, quin hanc in aliis *approbet*, & bonos eos & benevolos fieri *velit*. Sed hæc, ne longior sim, fufius persequi omitto: cum, ex jam ostensis, virtutem divinitus esse naturæ nostræ descriptam Legem non videre, nullius nisi obstinatè cæcutientis sit.

V. Porro, ad Legem requiritur, non solum ut faciendam aliquid Rector velit, sed ut voluntatem hanc subditis apertè satis *Promulget*, & pœnarum præmiorumque *Sanctionibus* eam muniat. Juris igitur naturalis *Promulgatio* in hoc consistit, quod a rerum natura, manifestissima indicia (quæ jam sumus persecuti) sunt nobis oblata, mentibusque omnium impressa, ex quibus, certam vivendi viam a summo Numine nobis præscribi colligimus. Sufficit enim ad *Legis Promulgationem*, ut Principis mandatum, quolibet modo, iis qui imperio ejus subjiciuntur innotescat, vel attendentibus innotescere possit. Cum videmus itaque certas actiones, perpetuis maximisque præmiis ab Auctore naturæ decorari, easdemque actiones cum commendatione quadam, ex ejus constitutione, ab omnium animis semper percipi, compertissimum esse cunctis potest, tales actiones huic Auctori naturæ gratas esse. Nec omni, vel verborum perspicuitate, vel præconum celebritate, apertius queat, cujusvis Principis, quidvis mandatum civibus indicari.

VI. Nec Legem hanc suam *Sanctionibus* incustoditam Idem reliquit. Ostendimus quippe, ex ejus observantiâ, maximam oriri humanam felicitatem, sicut, & ab ejus derelictione, gravissimis hominum vitam vexationibus

onibus torqueri: Quæ ut *præmia & pœnæ*, Legis suæ obedientiæ vel violationi, a summo *Legislatore* annexa, haberi debent. Si cui vero, nihil intra angustos vitæ hujus limites conclusum, ad Legem Naturalem firmis satis functionibus muniendam, sufficere videatur; reputet ille, quam firmis innixi argumentis, vitam post hanc futuram expectamus; in qua, quicquid adhuc defuerit, vel ad præmia bonorum, vel malorum pœnas, Deus supplebit: atque hoc, Numinis bonitate & justitiâ freti, persuasum habemus; nunquam enim committet Deus, ut sit penes ullam, vel hominum malitiam, vel humanæ fortis inconstantiam, æqui justique cultores, præmio suo frustrari, vel eos infelices reddere, qui ei ex animo obsecuti fuerint.

CAP. V.

STabilitâ demum, Promulgatâ, Sancitâque Lege Naturæ, restat ut dispiciamus, quâ, in hujus obedientiam, *Obligatione* astringimur. Minimè quidem Is sum, qui negem unicuique, ex propriæ Conscientiæ dictatis, ad vitam secundum honestatis normam conformandam, obligationem incumbere. Persevit enim unusquisque mortalium, esse æquum & rectum, & naturæ suæ consonum, ut hujus imperio obtemperet; nec esse potest, quin qui ei repugnet sui ipsius judicio condemnetur. Cum vero de *Obligatione Legis* res agitur, huic verbo hæc vis propriè est subjecta, ut significet necessitatem moralem, quæ quis ad aliquid agendum tenetur, ex præscripto superioris, qui & jus habet in eum imperandi, & obedientiam justis suis mandatis necessariam ad felicitatem facit. Ad legitimam enim *Obligationem* requiritur, ut ea simul & mentem æqui justique sensu altè penetret, (aliter enim a *Coactione* nihil differret) & voluntatem flectat necessitate rei, cui astringimur, præstandæ, ad vitam beatam efficiendam. Obligari igitur omnes ad virtutem necesse est, cum a Deo, justissimo omnium parente, simul & rectore, in generis humani legem fuerit descripta; & cum sit vitæ, nunc, & in omne ævum, beatæ, ab eo constituta certissima effectrix.

II. Quia verò Legis Naturalis vim obligatricem a divina voluntate deduco, forte suspicabitur hîc aliquis, me non Legem illam semper & ubique eandem, æternam, & mutationis nesciam, stabilire conatum esse, sed arbitrarium quiddam, & instabile, ultro citroque nutu commens divino. Verum non est ita. Nam, quamdiu rerum natura immota manebit, Lex Naturalis a nullo, ne vel a Deo ipso, mutari poterit: Quippe quæ ab hac naturæ constitutione, cujus ipse est auctor, necessariò originem trahat.

trahat. Fieri enim omninò non potest, ut quamdiu natura mentis humanæ sit qualis nunc est, Honesti ac Turpis discrimen omnium animis non sit insculptum; vel Benevolentia, cum hominum conciliatione, tum affectuum suavitate, & mentis gaudio, certissima non sit ad felicitatem via. Impossibile igitur est, optimum illud sapientissimumque Numen, aliam quamcunque vivendi viam hominibus præscribere unquam velle, nisi eam, quam & ipse semper approbat, & quam illa naturæ constitutio, cui ipse ortum dedit, illis & indicat, & necessariam ad felicitatem facit. Lex ergo naturæ immutabilis est; cum rerum naturâ simul orta, nec, nisi cum eâ, unquam interitura. Deum quidem Auctorem ejus constituimus, quod talem IS effecerit rerum naturam, unde illa necessariò promanet; ac ità, ejus Legislatores non immerito censendus est. Est igitur unum Jus, quo devincta est hominum universa Societas; Lex, diffusa in omnes, constans, & sempiterna: non quidem ære nec tabulis exarata, sed sensibus animisque singulorum, ubi invitis etiam & averfantibus legenda occurrit; Lex, quam tota consentiens rerum natura personat, promulgatque, non uno sermone, nec in unâ civitate, sed voce, omnibus & omni tempore, intellectâ, & per omnes profecturâ gentes, quæque sunt, quæque erunt.

III. His omnibus firmatis, manifestissimè apparet, quàm futilis & inanis sit Hobbii, ejusque sequacium, sententia; qui contendunt neminem, *in statu quem vocant naturæ*, ad fidem & beneficentiam obligari, nisi pactum intercesserit. Nam, præterquam quod omnes in mutuam devinctos benevolentiam jam ostendimus, si omnis virtutis obligatio a pacto oriretur, unde, quæso, esset pacti ipsius vis & obligatio? Fugit hoc nimirum hominem acutum, nisi pactis esset antiquior juris origo, nihil futurum quod ad pacta ipsa servanda astringeret, & quod plus securitatis ab hominum violentiâ, post pacta inita, afferret, quam antea habuiffemus. Mira profus sunt, quæ sibi, de *statu suo naturæ*, auctor ille, subtilior multò quàm gravior, commentus est: bellum, nimirum, omnium in omnes, idque (quæ monstra!) justissimum; pro se quemque rapere, ferre, omnia divina humana miscere; nullam fidem, nullam caritatem, nec quemquam actionum, nisi suam cuique libidinem, modum. Sed a vero hæc omnia abhorrent. Nam ipso principio quo omnia hæc, (& totum quidem systema Hobbianum) innituntur, quid dici potest absurdius? *in statu*, scilicet, *naturæ*, *jus esse unicuique in omnia*. Nam, primum, ità, jus unius juri alterius necessariò repugnaret; & quod justum esset uni possidere, justum item esset alteri ei per vim adimere; quod sentire, sanæ minimè mentis est. Deindè, cum Jus sit, *facultas aliquid agendi a lege concessa*, & cum omnes homines, in statu naturæ, hac regantur lege, ut Benevolentiam

nevolentiam colerent, seu Bono Publico studerent, (sicut jam monstratum est) sequitur, tantum abesse, ut omnes ad omnia sibi rapienda jus haberent, ut nemo ad aliquid possidendum jus habeat, nisi communem non lædat utilitatem ejus possessio. Quam falsissimum igitur hoc principium Hobbii sit, corruant necesse est cuncta illa, quæ portentoso huic singulorum in omnia juri, superstruxit; & maximè, illud bellum universale, in *Statu Naturæ*, quod ab hoc principio deduxit. Status equidem a Natura alienissimus esset, vesanum tale omnium in omnes bellum; cum naturalis sit inter omne humanum genus societas conjunctioque, idem jus, eademque suprema Lex: quibus autem jus est commune, ejusdem civitatis habendi sunt; ut qui hominum inter ipsos consociationem hanc ritè perspexerit, non popularem se tantum unius loci, sed civem totius mundi, quasi unius urbis, intelligat.

IV. Non est verò quod importunus nobis occinat aliquis, cum naturæ nostræ legem, & summa vitæ humanæ officia, unicuique, solò naturæ lumine, innotescere posse, conati fuerimus ostendere; inutilem idcirco, & contemnendam effici circa hæc ipsa officia, divinam institutionem. Multis etenim nominibus laudanda est, nec uberius quicquam, præstabiliusque a Deo immortali hominum vitæ datum est. Nam ut taceam, quibus, per totum terrarum orbem, vel malis moribus, vel depravatis opinionibus, restinguebantur hi igniculi quos natura nobis dedit, sic ut undique vanitati cesserit veritas, & opinioni confirmatæ ipsa natura, cum Christianæ primum doctrinæ salutaris generi humano illuxit fulgor; esto demum, Naturam unumquemque docere, tali se natum lege, ut publico hominum bono studeat, vel Benevolentiam colat universalem; hoc tamen nihil aliud est, quam caput & fons officiorum, quæ omnia indè deducere, & ad usus vitæ conformare, haud vulgaris ingenii, nec brevis aut facilis disquisitionis est. Circa hæc igitur laborantibus succurrit institutio Christiana: ac (præter alia, quæ a lumine naturæ erui nunquam potuissent) quibus maximè rationibus Publicum hoc Bonum, privato uniuscujusque conjunctum, promoveatur, hoc est, particularia omnia hominum officia, compendiosè simul & certissimè instruit. Legem igitur Naturalem omnis esse Honesti fontem, omniumque officiorum fundamentum; doctrinam verò Christianam, hanc Legem cum illustrare, tum certiore spe, nos ad eam colendam allicere, hominis erit Christianam Religionem minimè spernentis, Naturæque Legem suis laudibus amplificantis, oratio.

A N N E X A.

- I. **P**ROPRIETAS, seu Dominium, a Lege Naturali originem duxit.
- II. Omnis Potestas civilis immediatè oritur a populo, & ab eo pendet : ejusque salus suprema Lex est.
- III. Subditi non possunt conferre in principem suum, imperium in ipsos, quod fit sine ullis limitibus arbitrarium.
- IV. Tenentur, & obligantur subditi ex Lege Naturæ, ut Regi suo immani sævitiâ grassanti, vel civitatis jura evertenti resistent, & libertatem suam defendant.
- V. Omne Corpus est iners, & merè passivum ; nec seipsum movere potest, sed in statu quietis, vel motûs in directione rectilineari, necessario perseverat, nisi ab alio quovis impulsus patiatur.
- VI. Verum experimur mentem humanam activum quiddam esse ; principium motûs habens in seipso. Est igitur aliquid a corpore, seu materiâ, diversum ; quod Spiritus rectè appellari potest.

